

Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam: quae est a tota mente et a recta ratione defectio, sic aversa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones, et efficit, ut eae rectae rationi pareant, conservatque considerata judicia mentis: sic huic inimica intemperantia, omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque et aegritudines, et metus, et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea.

Fin. IV. 4. — Quid ab antiquis ex eo genere, quod ad disserendum valet, praetermissum est? qui et definierunt plurima, et definiendi artes reliquerunt; quodque est definitioni adjunctum, ut res in partes dividatur, id et sit ab illis, et quemadmodum fieri oporteat, traditur.

Fin II. 9. — Vitiosum est in dividendo, partem in genere numerare.

Top. VII. Partitionum et divisionum genus quale esset, ostendimus, sed quid inter se differant, planius dicendum est. In partitione quasi membra sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera, crura, pedes, et cetera. In divisione, formae sunt, quas Graeci *ἰδέας* vocant; nostri, si qui haec forte tractant, *species* appellant; non pessime id quidem, sed inutiliter ad mutandos casus in dicendo. Nolim enim, ne si Latine quidem dici possit, *specierum*, et *speciebus* dicere, et saepe his casibus utendum est; at formis et formarum velim. Quum autem utroque verbo idem significetur, commoditatem in dicendo non arbitror negligendam. Genus et formam definit hoc modo: *Genus* est notio ad plures differentias pertinens. *Forma* est notio, cuius differentia ad caput generis, et quasi fontem referri potest. Notionem appollo, quam Graeci tum *ἔννοιαν*, tum *πρόληψιν* dicunt. Ea est insita et praeconcepita cujusque rei cognitio, enodationis indigens. Formae igitur sunt hae, in quas genus, sine ullius praetermissione, dividitur: ut si quis jus in legem,